II. *Item* ANICETUS ad Epiſcopos Galliæ. [fortè an. 171. *Româ in Galliam.*]

Non vocentur Primates, niſi qui primas ſedes tenent.

2. *Pars.* e Polyc. *l.* 1. *tit.* 21. Ivo, *p.* 5. *c.* 54. Pann. *l.* 4. *c.* 25. f *al.* ſedes. g *al.* Epiſcoporum.

NUlli Archiepiſcopi e *Primates* vocentur, niſi illi, qui primas tenent civitates f, quarum Epiſcopos Apoſtoli, & Succeſſores Apoſtolorum, regulariter Patriarchas, & Primates eſſe conſtituerunt: niſi aliqua Gens deinceps ad fidem convertatur, cui neceſſe ſit propter 2 multitudinem eorum g, Primatem conſtitui. Reliqui verò, qui alias Metropolitanas ſedes adepti ſunt, non Primates, ſed Metropolitani nominentur.

¶ CORR. ROM.] Hoc Caput integrum repetitur à Gregorio VII. *lib.* 6. *Reg. Epiſt.* 35. Rothomagenſi, Turonenſi, ac Senonenſi Archiepiſcopis ſcripta, ex qua & originali nonnulla ſunt reſtituta.

¶ PITH. 2 *Propter.*] V. C. *propter Epiſcoporum multitudinem.*

III. *Item* EX CONCILIO AFRICANO, *c.* 6 h. [an. 397. *in Africa.*]

h Et Carthag. III. *c.* 26.

Primæ ſedis Epiſcopus non appelletur Princeps Sacerdotum, vel Summus Sacerdos.

i Polyc. *l.* 2. *tit.* 26. Burch. *l.* 1. *c.* 3. Ivo, *p.* 5. *c.* 57.

PRimæ i 3 ſedis Epiſcopus non appelletur *Princeps Sacerdotum*, vel *Summus Sacerdos*, aut aliquid hujuſmodi; ſed tantùm *primæ ſedis Epiſcopus.*

¶ PITH. 3 *Primæ.*] S. Auguſt. *lib.* 3. *de Baptiſ.*

GRATIAN. 3. *Pars.* " UNIVERSALIS autem nec etiam Romanus Pontifex " appelletur. Unde

IV. PELAGIUS II. Epiſt. omnibus Epiſcopis illicitè à Joanne Conſtantinop. convocatis, &c. [an. 587. *Româ Conſtantinopolim.*]

Nec etiam Romanus Pontifex Univerſalis *eſt appellandus.*

k Polyc. *l.* 2. *tit.* 25. Anſel. *l.* 6. *c.* 130. l *al.* hoc tam profano vocabulo. *orig.* m *al.* ſummus. *orig.*

NUllus Patriarcharum k *univerſalitatis* vocabulo l umquam utatur: quia ſi unus m Patriarcha *univerſalis* dicitur, Patriarcharum nomen ceteris derogatur. Sed abſit hoc, abſit à fidelis cujuſquam mente, hoc ſibi vel velle quempiam arripere, unde honorem Fratrum ſuorum imminuere ex quantulacumque parte videatur. Quapropter Charitas veſtra neminem umquam ſuis in Epiſtolis *univerſalem* nominet; ne ſibi debitum ſubtrahat, cùm alteri honorem offert indebitum.

V. *Item* GREGORIUS I. Eulogio Patriarchæ Alexandrino n, *lib.* 7. *Epiſt.* 30. *indict.* 1. [an. 598. *Româ in Ægyptum.*]

n Jo. Diac. *l.* 3. *c. ult.*

De eodem.

o Polyc. *l.* 2. *tit.* 26. Anſel. *l.* 6. *c.* 131.

ECce in præfatione o Epiſtolæ, quam ad meipſum, qui prohibui, direxiſtis, ſuperbæ appellationis verbum, *univerſalem* me Papam dicentes imprimere curaſtis. Quod peto, dulciſſima mihi Sanctitas veſtra ultrà non faciat: quia vobis ſubtrahitur, quod alteri plùs, quàm ratio exigit, præbetur. Ego enim non verbis quæro proſperari, ſed moribus; nec honorem eſſe deputo, in quo Fratres meos honorem ſuum perdere cognoſco. Meus namque honór eſt, honor univerſalis Eccleſiæ: meus honor eſt, Fratrum meorum ſolidus vigor. Tunc ego verè honoratus ſum, cùm ſingulis quibuſque honor debitus non negatur. Si enim *univerſalem* me Papam veſtra Sanctitas dicit, negat ſe hoc eſſe, quod me fatetur univerſum. Sed abſit hoc. Recedant verba, quæ vanitatem inflant, & charitatem vulnerant.

¶ CORR. ROM.] Apud B. Gregorium hæc ſequuntur. *Et quidem in ſancta Calchedonenſi Synodo, atque pòſt à ſubſequentibus Patribus hoc Deceſſoribus meis oblatum veſtra Sanctitas novit. Sed tamen nullus eorum uti hoc umquam vocabulo voluit, ut dum in hoc mundo honorem Sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum cuſtodirent ſuum.* Quam rem etiam pleniùs exponit, *lib.* 4. *Epiſt.* 32. Refert autem Beatus Thomas in opuſculo contra errores Græcorum totam illam Synodum Sancto Leoni ſic acclamaſſe, *Leo ſanctiſſimus Apoſtolicus, & Oecumenicus, id eſt, Univerſalis Patriarcha per multos annos vivat.* Et Leo IX. Michaëli Conſtantinopolitano Archiepiſcopo de hac eadem appellatione ſcribens ait, *Licèt magno Leoni Prædeceſſori noſtro, & Succeſſoribus ipſius hoc ſancta decrevit Calchedonenſis Synodus.* Sed in multis quoque libellis, qui actione tertia ejuſdem Synodi habentur, hæc eſt inſcriptio, *Sanctiſſimo, ac Beatiſſ. Univerſali Patriarchæ magnæ Romæ Leoni.* Et in codicibus multarum Epiſtolarum ad Romanos Pontifices, quæ manuſcriptæ in Vaticana Bibliotheca ſervantur (quarum multa exempla ſunt penes privatos) ad Hormiſdam Papam pluſquam trecenti Archimandritæ, ac Monachi ſecundæ Syriæ ſic ſcribunt, *Sanctiſſimo, ac Beatiſſ. Orbis terræ Patriarchæ Hormiſdæ continenti ſedem Principis Apoſtolorum Petri, deprecatio, & ſupplicatio minimorum Archimandritarum, & ceterorum Monachorum ſecundæ Syriæ.* Et in media ferè Epiſtola. *Quoniam Chriſtus Deus noſter Principem Paſtorum, & Doctorem, & Medicum animarum conſtituit vos noſtrum ſanctum Angelum; dignum eſt paſſiones, quæ nobis contigerunt, exponere &c.* Avitus quoque Galliæ Epiſcopus ad eumdem Hormiſdam ſic ſcribit, *Dum Religionis ſtatui, & plenis Catholicæ fidei regulis perſpicitis convenire, ut gregem per tota vobis univerſalis Eccleſiæ membra commiſſum, pervigil cura me adhortationis informat.* Et Joannes Epiſcopus Nicopolitanus ad eumdem: *Decenter ad veſtras orationes concurro, ut juxta conſuetudinem Apoſtolicæ Sedis veſtræ, cunctarum Eccleſiarum curam, & Nicopolitanorum habere dignemini, ſecundum antiquam ſpecialem diſpoſitionem veſtram.* Et in Breviario Liberati, *c.* 22. Epiſcopus Pateræ hæc Imperatori de Silverio Papa, ait, *multos eſſe in hoc mundo Reges, & non eſſe unum, ſicut ille Papa eſt ſuper Eccleſiam mundi totius.* Et Regino Germanus *lib.* 11. *Chronicorum* de Nicolao I. loquens, ſæpe illum vocat univerſalem Pontificem. Sed iſtius dictionis, *univerſale*, duæ ſunt notiones, quod Innocentius III. *lib.* 2. *Epiſt.* 206. (quæ incipit, *Apoſtolicæ Sedis*) Patriarchæ Conſtantinop. ſcribens, exponit his verbis, *Dicitur enim univerſalis Eccleſia, quæ de univerſis conſtat Eccleſiis, quæ Græco ſermone Catholica nominatur, & ſecundum hanc acceptionem vocabuli Eccleſia Romana non eſt univerſalis Eccleſia, ſed pars univerſalis Eccleſiæ, prima videlicet, & præcipua: veluti caput in corpore; quoniam in ea plenitudo poteſtatis exiſtit, ad ceteras autem pars aliqua plenitudinis derivatur. Et dicitur univerſalis Eccleſia illa una, quæ ſub ſe continet Eccleſias univerſas. Et ſecundum hanc nominis rationem Romana tantum Eccleſia univerſalis nuncupatur: quoniam ipſa ſola ſingularis privilegio dignitatis ceteris eſt prælata, ſicut Deus univerſalis Dominus appellatur (non quaſi jam diviſus in ſpecies aut ſpecialiſſimas, aut etiam ſubalternas) quoniam omnia ſub ejus dominio continentur. Eſt enim una generalis Eccleſia, de qua Veritas inquit ad Petrum* p: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam.

p Matth. 16.

PALLIUM ARCHIEPISCOPIS NECESSARIUM.

DISTINCTIO C.

EPISCOPOS autem ordinare ante Pallium acceptum nec Archiepiſcopo, nec Primati, nec Patriarchæ licet. Quod ex autoritate Pelagii Papæ (licèt minus evidenter) datur intelligi. Ait enim " GRATIAN. " 1. *Pars.*

I. PELAGIUS Papa 1. [fortè c. an. 557. *Romæ.*]

Intra tres menſes fidem ſuam exponere, & Pallium poſtulare à Romana Eccleſia quiſque Metropolitanus ſtudeat.

a Polyc. *l.* 2. *tit.* 10. Burch. *l.* 1. *c.* 25. Anſ. *l.* 6. *c.* 92. Ivo, *p.* 5. *c.* 136. Pann. *l.* 3. *c.* 11. b *al.* Epiſcopo. c Innoc. III. *l.* 1. *Epiſt.* 117. d *al.* præbere.

QUoniam a quidam Metropolitanorum fidem ſuam ſecundùm priſcam conſuetudinem ſanctæ Sedi Apoſtolicæ exponere detrectantes, uſum Pallii neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc Epiſcoporum Conſecratio viduatis Eccleſiis non ſine periculo protelatur; placuit, ut quiſquis Metropolitanus ultra tres menſes conſecrationis ſuæ ad fidem ſuam exponendam Palliùmque ſuſcipiendum, ad Apoſtolicam Sedem non miſerit, commiſſa ſibi careat Dignitate, ſitque Metropolitanis aliis licentia poſt ſecundam & tertiam commonitionem viduatis Eccleſiis cum conſilio Romani Pontificis, ordinando Epiſcopos b, ſubvenire.

§. 1. Si verò c conſecrandi Epiſcopi negligentiâ provenerit, ut ultra tres menſes Eccleſia viduata conſiſtat, communione privetur, quouſque aut loco cedat, aut ſe conſecrandum offerre d non differat. Quòd ſi ultra quinque 2 menſes per ſuam negligentiam retinuerit viduatam Eccleſiam; neque ibi, neque alibi conſecrationis donum percipiat: immò Metropolitani ſui judicio cedat.

¶ CORR. ROM.] Burchardus, Anſelmus & autor Panormiæ citant ex Decr. Damaſi: Ivo verò citat, ut Gratianus, itémque Innocentius III. *lib.* 1. *Epiſt.* 117. Bituricenſi Archiepiſcopo (quæ incipit, *Ne ſi univerſi*) refert paragraphum, *Si verò conſecrandi*, ex eodem Pelagio.

¶ PITH. 1 *Ipſa Pelagio Papa.*] 2. V. C. *Joannes VIII. ex Concilio III. apud Ravennam.*

2 *Quinque.*] Extr. c. 2. *de tranſlat. Epiſc.*

II. *Item* GREGORIUS Papa I. Brunichildæ Reginæ, *lib.* 7. *Epiſt.* 5. ſeu *c.* 97. [an. 597. *Româ in Galliam.*]

Honor Pallii non detur, niſi meritis exigentibus, & fortiter poſtulanti.

e Pars. Anſel. *l.* 6. *c.* 93. Polyc. *l.* 2. *tit.* 24.

PRiſca conſuetudo e obtinuit, ut honor Pallii, niſi exigentibus cauſarum meritis, & fortiter poſtulanti dari non debeat.

III. IDEM Joanni Corinthiorum Epiſcopo f, *lib.* 4. *Epiſt.* 55. ſeu *c.* 99. [an. 595. *Româ in Peloponneſum.*]

f Jo. Diac. *l.* 3. *c.* 5.

De eodem. PALEA.

g Anſel. *l.* 6. *c.* 90. Polyc. *l.* 2. *t.* 1. h *al.* fraternitas veſtra. *orig.* i *l.* 3. *c.* 1. *de ordinationibus.*

NOvit g Sanctitas tua h, quia prius Pallium, niſi dato commodo, non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto Concilio ante corpus Beati Petri Apoſtolorum Principis, tam de hoc, quàm de Ordinationibus aliquid accipere ſub diſtricta interdictione vetuimus. Oportet ergo i, ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam ſupplicationem aliquos ad ſacros Ordines conſentiatis, vel permittatis adduci.

¶ CORR. ROM.] Hæc Palea habetur in pleriſque vetuſtis exemplaribus.

GRATIAN. 3. *Pars.* " CAUSARUM verò merita accipienda ſunt, ut & is, qui " poſtulat, mereatur accipere, & fidei ſuæ profeſſionem priùs " juramento confirmet, & Apoſtolicis Decretis, atque Syno- " dalibus ſtatutis ſe obediturum nihilominùs caveat. Pallio au- " tem non niſi certis diebus, & intra Eccleſiam ad Miſſarum " ſolennia cuiquam Metropolitano uti licebit. Unde

IV. JOANNES Epiſcopus Vuliberto α Agrippinenſi Epiſcopo. [c. an. 873. *Româ in Germaniam.*]

Niſi poſt conſuetam fidei profeſſionem Pallium dari non debet.

k Anſel. *l.* 6. *c.* 92.

OPtatum k tibi Pallium nunc conferre nequivimus: quia fidei tuæ paginam minus, quàm oporteat, continere reperimus: cùm videlicet in ea nullam ſanctarum univerſalium Synodorum, in quibus fidei noſtræ Symbolum continetur, nec Decretalium Pontificum Romanorum conſtitutorum ſecundùm morem feceris mentionem: ſed nec illam propria ſubſcriptione munieris, nec aliquem, qui hanc jurejurando firmaret, miſeris.

¶ CORR. ROM. α *Vuliberto.*] Reſtitutum eſt hoc nomen ex Anſelmo. Nam anteà erat, *Giliberto:* Nam Regino in ea ætate, quâ Joannes VIII. Romanæ Eccleſiæ præfuit, meminit Vuliberti Epiſcopi Agrippinenſis: & inter Epiſtolas Joannis Papæ VIII. quæ in Bibliotheca Vaticana ſervantur, eſt Epiſtola alterius arg. ad eumdem, & Deuſdedit refert integram ejuſdem Joannis Epiſtolam ad eumdem Vulibertum.

V. *Item* GREGORIUS I. Aregio Epiſcopo Francorum, *lib.* 7. *Epiſt.* 111. [an. 599. *Româ in Galliam.*]

Qui Pallium deſiderat accipere, priùs à ſe removere illicita promittat.

l Anſel. *l.* 6. *c.* 90.

IN ea Synodo l, quam contra Simoniacam Hæreſim per Fratrem, & Coëpiſcopum noſtrum Syagrium decrevimus congregari, Sanctitatem veſtram volumus intereſſe, atque eidem Fratri ita Pallium, quod tranſmiſimus, tribui, ſi priùs ſe promiſerit illicita, quæ prohibuimus, per definitionem Synodicam à Sancta Eccleſia removere. De qua Synodo omnem nobis ſubtiliter ordinem tuam Fraternitatem volumus ſcriptis diſcurrentibus nuntiare; ut ipſe, cujus nobis Sanctitas valdè experta eſt, nos reddas de omnibus certiores.

VI. IDEM Virgilio Epiſcopo Arelatenſi, *lib.* 4. *Epiſt.* 51. ſeu *c.* 95. [an. 595. *Româ in Galliam.*]

Non niſi ad Miſſarum ſolennia Archiepiſcopo uti Pallio licet.

4. *Pars.* m Anſel. *l.* 6. *c.* 98.

PAllium tibi m tranſmiſimus, quo Fraternitas tua intra Eccleſiam ad ſola Miſſarum ſolennia utatur.

VII. *Item* IDEM Joanni Ravennati Epiſcopo, *lib.* 2. *Epiſt.* 54. ſeu *c.* 93. *Indict.* 11. [an. 593. *Româ in Æmiliam.*]

De eodem. PALEA.

n Anſel. *l.* 6. *c.* 87.

NOn multum n temporis intervallum eſt, quòd quædam nobis de tua Fraternitate fuerunt nuntiata, de quibus vobis, veniente illuc Caſtorio Notario ſanctæ, cui Deo autore præſidemus, Eccleſiæ, ſubtiliter nos indicaſſe meminimus. Pervenerat namque ad nos quædam in Eccleſia veſtra contra conſuetudinis, atque humilitatis α tramitem geri; quæ ſola, ut benè noſtis, eſt officii Sacerdotalis erectio. Quæ, ſi Sapientia veſtra manſuetè, vel cum Epiſcopali ſuſcepiſſet ſtudio, non de illis accendi debuerat, ſed oportuerat te hæc eadem cum gratiarum actione corrigere.

¶ CORR. ROM. α *Humilitatis.*] Reſtitutus eſt hic locus ex ipſa Epiſtola. Anteà enim legebatur, *contra utilitatem Eccleſiæ, & conſuetudinis tramitem geri: quæ ſola. ut benè noſtis, eſt officii Sacerdotalis ereptio.*

VIII. *Item* IDEM Joanni Epiſcopo Ravennati, *in ead Epiſt.* [an. 593. *Româ in Æmiliam.*]

De eodem.

o Anſel. *l.* 6. *c.* 95. Polyc. *l.* 2. *tit.* 20. p *al.* correptio.

COntra morem o quippe Eccleſiaſticum eſt, ſi non patientiſſimè toleratur, (quod à vobis abſit) etiam injuſta correctio p. & *infrà.* §. 1. Illud, Frater chariſſime, tibi non putamus ignotum, quòd penè de nullo Metropolitano in quibuslibet Mundi partibus ſit auditum, extra Miſſarum tempus, uſum ſibi Pallii vindicaſſe. Et quòd benè hanc conſuetudinem generalis Eccleſiæ noveritis, veſtris nobis manifeſtiſſimè ſignificaſtis Epiſtolis: quibus præceptum beatæ memoriæ Deceſſoris noſtri Joannis Papæ nobis in ſubditis tranſmiſiſtis annexum, continens omnes conſuetudines ex privilegio Prædeceſſorum noſtrorum conceſſas, vobis, Eccleſiæque veſtræ debere ſervari. Confitemini igitur aliam eſſe generalis Eccleſiæ conſuetudinem; poſtquam ea, quæ vos geritis, vobis ex privilegio vendicatis. Nulla ergo vobis in hac re, ut arbitramur, poterit remanere dubietas. Aut enim mos omnium Metropolitanorum etiam à tua eſt Fraternitate ſervandus; aut ſi tuæ Eccleſiæ aliquid ſpecialiter dicis eſſe conceſſum, præceptúmve à prioribus Romanæ urbis Pontificibus, quòd hæc Ravennati Eccleſiæ ſunt conceſſa, à vobis oportet oſtendi. Quòd ſi hoc non oſtenditur, reſtat, poſtquam talia agere neque conſuetudine generali, neque privilegio vendicas, ut uſurpaſſe te comprobes, quod feciſti. & *infrà.* §. 2. Decorari Pallio volumus, forſan moribus indecori; dum nihil in Epiſcopali cervice ſplendidiùs fulget, quàm humilitas. Oportet igitur Fraternitatem tuam, ſi honores ſuos ſibi quibuslibet argumentis ſtabili propoſuit mente defendere, aut generalitatis uſum ex non ſcripto ſequi, aut ex ſcriptis privilegiis q ſe tueri. Quòd ſi poſtremò nihil horum eſt, aliis Metropolitanis hujus te præbere nolumus præſumptionis exemplum.

q *al.* ſcripto privilegio.

PRIVILEGIA quoque cum uſu Pallii ſemper debent concedi. Unde " GRATIAN. " 5. *Pars.*

IX. IDEM GREGORIUS Syagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi, *lib.* 7. *Epiſt.* 112. [an. 599. *Româ in Galliam.*]

Cum uſu Pallii aliqua privilegia debent concedi.

r Polyc. *l.* 2. *tit.* 21. Anſel. *l.* 6. *c.* 86.

RAtionis ordo r omnino nos admonet, ut cum uſu Pallii aliqua ſimul, ſicut diximus, largiri privilegia debeamus. Sed quoniam cum honoris augmento, cura quoque ſolicitudinis debet accreſcere, ut cultui veſtium, actionis quoque ornamenta conveniant; oportet, ut enixiùs in cunctis ſe ſtudiis veſtra Fraternitas exerceat, & circa α Subjectorum actus ſit cura vigilans, ut veſtrum illis exemplum inſtructio, & vita magiſtra ſit.

¶ CORR. ROM. α *Et circa.*] Locupletatus eſt hic locus ex originali.

X. IDEM Joanni Epiſcopo primæ Juſtinianæ Illyricæ, *lib.* 4. *Epiſt.* 15. ſeu *c.* 59. [an. 594. *Româ in Bulgariam.*]

Uſus Pallii conceditur, & antiqua privilegia innovantur.

ſ Anſel. *l.* 6. *c.* 99.

PAllium ſ vobis ex more tranſmiſimus, & vices vos Apoſtolicæ Sedis agere iterata innovatione decernimus.

XI. IDEM Epiſcopis Epiri, *lib.* 5. *Epiſt.* 7. ſeu *c.* 107. *indict.* 14. [an. 595. *Româ in Epirum.*]

De eodem.

t Anſel. *l.* 6. *c.* 100.

SCriptorum t veſtrorum inſinuatio, Fratres chariſſimi, patefecit Andream Fratrem noſtrum Nicomedianæ civitatis Epiſcopum, Deo propitio, ſolenniter ordinatum. & *infrà.* Supraſcripto igitur Andreæ Fratri, & Coëpiſcopo noſtro Pallium nos direxiſſe agnoſcite, atque Privilegia, atque cuncta conceſiſſe, quæ Prædeceſſores noſtri ejus Prædeceſſoribus contulere.

IN UNA PROVINCIA DUO NON SINT METROPOLITANI.

DISTINCTIO CI.

IN una autem provincia duo Metropolitani eſſe non debent: ſicut ſtatutum eſt " GRATIAN. " 1. *Pars.*

I. IN CALCHEDONENSI CONCILIO, *cap.* 12. [an. 451. *in Bithynia.*]

Duo Metropolitani in una & eadem provincia eſſe non debent.

a Polyc. *l.* 2. *tit.* 24. Ivo, *p.* 5. *c.* 146. Burch. *l.* 1. *c.* 35.

PErvenit ad nos a, quòd quidam præter Eccleſiaſticas ordinationes affectantes potentiam, per Pragmaticum ſacrum α unam provinciam in duas dividant; ita ut ex hoc inveniantur duo Metropolitani Epiſcopi in una eadémque provincia eſſe. Statuit ergo ſancta Synodus deinceps nihil tale attentari à quolibet Epiſcopo; eos verò qui aliquid tale attentaverint, cadere de proprio gradu.

¶ CORR. ROM. α *Pragmaticum ſacrum.*] Verſiones priſca, & Dionyſiana habent, *per Pragmaticam formam:* Græcè autem eſt διὰ πραγματικῶν; quod in eodem Capite paulò pòſt dicitur διὰ γραμμάτων βασιλικῶν, id eſt, per literas Imperiales.

HACTENUS de Electione, & Ordinatione Clericorum " GRATIAN. tractavimus. Nunc ad Simoniacorum Ordinationes tranſeamus. " Et ut facilè liqueat, quid ſuper hac hæreſi, Sanctorum " Patrum decrevit autoritas, cauſa deducatur in medium: " cujus negotium, & de ſcienter à Simoniacis ordinatis, & " de ignoranter à Simoniacis conſecratis, & de Ordinationibus, " quæ per pecunias fiunt, contineat. "